

# Zwischen Tugend und Laster

## Ein spätmittelalterlicher *Conflictus animae*

Christian  
Heitzmann

Tugenden und Laster zu personifizieren und als handelnde Personen agieren zu lassen, ist bereits in der antiken Literatur ein beliebtes Mittel, um abstrakte Begriffe und ihr Verhältnis zueinander anschaulich zu machen. Für die christliche lateinische Literatur des Mittelalters ist für diesen Bereich die *Psychomachie* des Prudentius (um 400) einflussreich gewesen. Zu der Vielzahl von Texten über Tugenden und Laster, die im Mittelalter verfasst wurden, gehört ein bislang unbeachteter lateinischer Prosatext des Spätmittelalters. Er handelt in allegorischer Rede von der menschlichen Seele, die in Gestalt einer vornehmen Königin vorgestellt wird. Ihr Schloss liegt mitten zwischen Jerusalem und Babylon, also zwischen Gut und Böse. In biblisch geprägter Sprache und in Bildern, die vor allem in Anlehnung an den Psalter und das Hohelied die Sehnsucht der Seele nach Gott bzw. dem Bräutigam Christus veranschaulichen, bietet der kurze Traktat die Darstellung des aus Tugenden bestehenden Hofstaats der Königin. Im ersten Teil des Textes geht es um die Bestrafung und Besserung reumütiger Sünder, wobei zwölf Tugenden aus dem Hofstaat der Königin dem Richter als Schöffen zur Seite stehen. Der zweite Teil handelt von der Bedrohung der Seele durch den Herrscher von Babylon, der die Königin in seine Gewalt bringen will. Von ihr abgewiesen, versucht er, ihr Schloss mit Gewalt zu nehmen. Rettung kommt ihr von Christus, dem Sohn des Königs von Jerusalem, dem die ganze Sehnsucht der Königin gilt und dem sie sich schließlich vermählt.

Der Text eines namentlich nicht bekannten Verfassers ist in fünf Papierhandschriften des 15. Jahrhunderts überliefert. Davon stammen vier mit Sicherheit aus Norddeutschland (zwei aus Hildesheim, eine aus Bursfelde und eine aus Bordesholm), eine vermutlich aus Regensburg.

- H Hildesheim, Stadtarchiv, Best. 52 Nr. 369, f. 175v–181v (Ende 15. Jh., aus St. Michael Hildesheim)<sup>1</sup>
- J Jena, Thüringer Universitäts- und Landesbibliothek, Ms. Sag. o. I0, f. 77r–91v (2. V. 15. Jh., in Nordwestdeutschland geschrieben, Besitzvermerk des Lüchtenhofs in Hildesheim)<sup>2</sup>
- K Kiel, Universitätsbibliothek, Ms. Bord. II9, f. 132v–137v (um 1470, aus Bordesholm)<sup>3</sup>
- Ma Marburg, Universitätsbibliothek, Mscr. 68, f. 109r–131v (2. Hälfte 15. Jh., aus Bursfelde)<sup>4</sup>
- Mü München, Universitätsbibliothek, 2° Cod. ms. 672, II7ra–I23vb (1. Drittel 15. Jh., vielleicht aus Regensburg, um 1600 in Ingolstadt)<sup>5</sup>

Wann und wo das Werk entstanden ist, kann kaum näher eingegrenzt werden. Als Entstehungszeit kommen das 13., 14. oder 15. Jahrhundert infrage. Der Titel des Traktats ist in den Handschriften uneinheitlich überliefert. Die aus Bursfelde stammende Marburger Handschrift bietet die Überschrift *Conflictus virtutum et vitiorum animae haesitantis inter Jerusalem et Babylonem*.<sup>6</sup> Dem entspricht in der Jenaer Handschrift die Schlusschrift *Explicit conflictus anime*. Die Hildesheimer Handschrift bietet den ausführlichen Titel *Tractatulus devotus de anima que dicitur regina quomodo sponso suo scilicet Christo post hanc vitam coniungitur* und verweist damit auf den im Traktat nicht ausdrücklich genannten Bezug zum Jenseits. Die Münchner Handschrift bietet das Incipit *Liber de nobilitate animae*. Die Bordesholmer Handschrift schließlich spricht in der Überschrift schlicht von einer *Metaphora* und betont damit den allegorischen Charakter des Werks. Dies entspricht der Formulierung des unbekannten Autors in der Vorrede: *per quasdam comparaciones enarrabo*. Die besondere Hochschätzung, die der Tugend der *discretio* entgegen gebracht wird, lässt auf ein monastisches Umfeld schließen, in dem der Verfasser lebte.<sup>7</sup>

Der hier erstmals zum Druck gebrachte Text beruht auf der Überlieferung in den Handschriften H, J und K. Der Text folgt im Wesentlichen K und H, relevante (sinntragende) Varianten sind in den Fußnoten nachgewiesen.

1 Mittelalterliche Handschriften im Stadtarchiv Hildesheim, beschr. von Irene Stahl (Mittelalterliche Handschriften in Niedersachsen – Kurzkatalog, 4). Wiesbaden, 2001, S. 63–65, hier 65.

2 Die Handschriften der Thüringer Universitäts- und Landesbibliothek, Bd. 2: Die mittelalterlichen lateinischen Handschriften der Signaturreihen außerhalb der Electoralis-Gruppe, beschr. von Bettina Klein-Ilbeck und Joachim Ott. Wiesbaden, 2009, S. 372–379, hier 374. Das Digitalisat dieser Handschrift steht online zur Verfügung: [http://archive.thulb.uni-jena.de/hisbest/receive/HisBest\\_cbu\\_00030772](http://archive.thulb.uni-jena.de/hisbest/receive/HisBest_cbu_00030772)

3 Ich danke Kerstin Schnabel für den Hinweis auf diese Handschrift. Ihre Beschreibung stellte sie mir freundlicherweise schon vor der Veröffentlichung zur Verfügung.

4 Die mittelalterlichen Handschriften der Universitätsbibliothek Marburg, beschr. von Sirka Heyne. Wiesbaden, 2002, S. 199–201, hier 201.

5 Die lateinischen mittelalterlichen Handschriften der Universitätsbibliothek München, Hälfte 2: Die Handschriften aus der Folioreihe, beschr. von Natalia Daniel, Gerhard Schott, Peter Zahn. Wiesbaden, 1979, S. 150–154, hier 152.

6 Anja FRECKMANN: Die Bibliothek des Klosters Bursfelde im Spätmittelalter. Göttingen, 2006, S. 93. In Anlehnung an München bietet der Katalog (vgl. Anm. 5) den Titel *Liber de nobilitate animae*.

7 André CABASSUT: Art. Discréption. In: Dictionnaire de Spiritualité, Bd. 3. Paris, 1957, Sp. 1311–1330, bes. 1319–1326.

Audite omnes, qui timetis deum, et narrabo, quantas virtutes in presenti et quantas delicias in futuro faciet<sup>9</sup> deus anime mee.<sup>10</sup> Hec omnia et singula et per quasdam comparaciones enarrabo. Animam dico reginam, Deum sponsum, corpus castrum, conscientia domum in qua regina moratur cum sua familia, familiam dico diversas virtutes, quinque sensus quinque plateas, liberum arbitrium duas valvas predicti castri, quarum una respicit ad Iherusalem, altera ad Babilonem.

Erat quedam regina valde nobilis, que habebat castrum inter Iherusalem et Babilonem. Hec erat ita nobilis, quod nichil inveniebatur in terra, quod eius nobilitati comparari posset, quia initium habet, sed fine caret, et omnia, que sub sole sunt transitoria, sunt ei subiecta. Hec enim supradicta regina erat ditata et ornata multa familia et copiosa nimis. Fueruntque ei octo pedisseque et una matrona. Pedisseque vero Humilitas, Disciplina, Simplicitas, Verecundia, Castitas, Temperancia, Pudicicia, Mundicia et Reverencia. Prime quatuor sequebantur reginam, quando per plateas et alias ire compellebatur. Et unaqueque suum officium ei studiose impendebat. Humilitas fimbriam vestimenti<sup>11</sup> eius levabat, cum per postem vel per alium offendiculum transire necesse erat, et cum vento superbie et flatu elacionis agitarentur vestimenta eius, ne caderet, diligenter componebat, et ne aliquid indecens ei contingeret, quia humilitas numquam passa est ruinam. Disciplina semper eam monebat, ne eius nobilitatem oblivioni traderet, sed semper disciplinate et honeste incederet. Simplicitas vero eam monebat, ut neminem despiceret, sed omnes obviantes sibi reverenter salutaret et simpliciter incederet. Verecundia eam monebat, ut oculos submissos haberet et semper verecundiam servaret, cum colloquium cum viris habere oportebat, quia proprie virginis est trepidare et ad omnes viri ingressus formidare. Et sic predicta regina semper et ubique decenter se habuit propter spem desponsationis nobilis domicelli omni gratia plena.<sup>12</sup> Castitas et Pudicicia eciam suum officium diligenter impleverunt. Harum officium fuit lectum preparare et diversis floribus virtutum ornare et lectisternia ab omni macula custodire. Mundicia et Reverencia similiter suum officium summa devocione frequenter exercebant. Istarum officium fuit mundicias ubique facere, pavimentum domus et angulos purgare, sedilia honeste componere, ut intrantes et exeuntes nichil invenirent, quod eorum aspectus reprehendere posset. Eciam habuit venerabilem matronam nomine Pax.<sup>13</sup> Huius officium fuit ipsam reginam et predictas virgines regere et quicquid facerent<sup>14</sup> semper in pace incederent, quia ubi pax, ibi est tranquillitas et summa quietes. Fuerunt eciam dicte regine duo nobiles consiliarii, scilicet Providencia et Sapiencia, duo camerarii, scilicet Honestas et Puritas, marscallus Benivolencia, pincerne quoque Continencia et Moderancia,

8 Überschrift: Tractatus devotus de anima que dicitur regina quomodo sponso suo scilicet Christo post hanc vitam coniungitur H. Quedam metaphora K. Conflicitus virtutum et vitiiorum animae haesitantis inter Iherusalem et Babylonem Ma. Liber de nobilitate anime Mü.

9 faciet] fecit H. J.

10 PsG 65,16: venite audite et narrabo omnes qui timetis deum quanta fecit animae meae.

11 Mt 9,20 und 14,36: fimbriam vestimenti.

12 propter ... plena] om. H | omni gratia plena] omni gloria pleno J.

13 erat eciam quedam matrona provida et discreta nomine pax H. J.

14 sive in opere cotidiano vel cum aliquando aliquas levitates exercerent add. J.

Sobrietas et Temperancia, advocatus Iusticia, prolocutores Misericordia et Veritas. Scabini duodecim, sex a dextris et sex a sinistris. Sex a dextris sunt Intelligenzia, Bonitas, Pacienza, Pietas, Obediencia et Fidelitas. In hac parte stetit Misericordia, cum loqueretur cum aliquo deprehenso. Sed Veritas stetit in sinistro cum suis scabinis et sunt isti sex: Racio, Comprehensio, Exhibicio, Demonstracio, Affirmacio et Confirmacio.

Contigit autem sepius, ut Misericordia et Veritas sibi obviarent<sup>15</sup> coram iudice in proloquendo, ita ut, cum aliquis in culpa<sup>16</sup> deprehensus fuisset et Veritas eum ad mortem condempnare vellet, Misericordia eum firmiter cum suis scabinis defendebat. Dixit enim Intelligenzia primus scabinus: "O domine iudex, quamvis hic peccavit, tamen intellexi, quod multa bona operatus est prius." Et hoc Bonitas secundus scabinus affirmavit sic esse. Tunc tercia, scilicet Pacienza dixit: "Scio ego, quod hic multas iniurias quandoque pacienter sustinuit propter iusticiam. Ideo nunc merito parcendum est ei." Tunc quartus, scilicet Pietas ait: "Pius semper fuit circa pauperes et indigentes, ideo et nunc pie parcatur." Et quintus ait, scilicet Obediencia: "Quamvis in hac parte inobediens fuerit, tamen diligenter servat mandata dei." Tunc sextus, scilicet Fidelitas ait: "O bone iudex, merito debetis ei parcere, quia semper fidelis fuit in omnibus operibus suis, eciam persecutoribus bene faciens propter deum." Tunc iudex ait: "Impossibile est multorum sanctorum preces non exaudiri, quia nullum bonum manet irremuneratum." Ad hec Veritas ait: "Nec ullum malum erit impunitum." Tunc communi consilio decreverunt, ut reus dignos fructus penitentie ageret et sic graciā inveniret. Et sic iudex tradidit eum in potestatem Misericordie. Quem Misericordia multa gavisa arripuit et tradidit eum Contricioni, et Contricio tradidit eum Confessioni et Confessio Satisfacciōni. Deinde Satisfaccio duxit eum ad domum Penitencie et ibi compedivit eum multos dies. Abstinēcia ministrait ei. Tunc Abrenunciatio accessit ad eum dicens: "Si abrenunciare volueris, ego fideliter peragam negocium tuum, ut tibi mictius fiat." Qui respondens: "Abrenuncio propriam voluntatem." Tunc Abrenunciatio nunciavit hoc iudici et fideliter intercessit pro eo. Tunc iudex misit ei duos nuncios vel ministros, qui alleviarent penam eius et consolarentur eum, scilicet Compassionem vel Compacionem et Consolacionem. Tunc venit et<sup>17</sup> Pacienza et Obediencia et consolabantur eum et provocabant ad satisfaccionem. Tunc et predicti consiliarii, scilicet Sapiencia et Prudencia, miserunt ei occulte duas consolatores habiles et subtile ad provocandum eum ad gaudium et leticiam, scilicet Iubilationem et Contemplacionem, ut luderent et gauderent coram eo, ne nimia tristitia absorberetur. Qui cum venissent et ludum suum dulciter exercent et suavissime coram eo gauderent, captivus extra se pre dulcedine rapitur, ita ut non sentiret vincula nec penitenciam sibi inflictam, et omnes alii<sup>18</sup> consolatores tractarent coram eo de sua liberacione. Ille ait: "Ego malo sic semper esse in vinculis et tali ludo frui, quam sine vinculis tali ludo carere." Vere felix est talis penitencia, que tam delectabile ludum habere meruit. Eya quam beatus est iste, qui tali ludo semper fruitur! Vere iste dicere potest illud propheticum: Auditui meo da[bis gaudium] etc.<sup>19</sup>

15 PsG 84,II: misericordia et veritas obviaverunt sibi.

16 in culpa] in venialibus vel aliquando incaute vel per ignoranciam vel per deceptionem in gravibus culpis J.

17 tunc venit et] et aliquando predicti scabini veniebant ad eum et maxime J.

18 alii homines H.

19 PsG 50,9: auditui meo dabis gaudium et laetitiam.

Interea fit clamor, quod iterum quidam deprehensus sit in multis et gravibus criminibus et peccatis. Statim affuit Veritas cum suis scabinis coram iudice. Et iudex: "Quid vobis videtur de illo criminoso?" Primus scabinus, scilicet Ratio dixit: "Loquatur Veritas de eo, quicquid ei constet." Tunc Veritas multa enormia mala protulit adversus eum et iudicat illum dignum esse morte eterna. Tunc precepit iudex secundo et tertio scabinis, scilicet Comprehensioni et Exhibicioni, ut mitterent precones, qui comprehendenderent eum et exhiberent eum iudicio. Quod cum factum fuisset, iudex inquisivit que esset causa mortis. Statim quartus scabinus, scilicet Demonstratio, prodidit multa furta et alia scelera, in quibus fuerat deprehensus. Tunc quintus scabinus, scilicet Affirmacio, testificabatur omnia esse vera, et sic ille convincitur. Tunc sextus scabinus, scilicet Confirmatio, confirmavit sentenciam dampnacionis sue. Audiens hec Misericordia cum suis scabinis tacuit, quia non habebat viam, per quam ei posset subvenire. Videns igitur iudex, quod nullus pro eo intervenire vellet, iussit eum tradi tortoribus iuxta peccata<sup>20</sup> in quibus delectabatur in hac vita. Tunc mox rapuerunt eum Superbia et Elacio cum suis ministris et precipitaverunt eum de celso monte. Tunc iam Odium et Invidia rapuerunt eum unguibus suis et dentibus acutissimis laceraverunt. Post hec Luxuria, Immundicia, Gula et Ebrietas cum sociis suis proiecerunt eum in puteum immundissimum, ubi rapuerunt eum principes tenebrarum et tradiderunt eum ministris, scilicet Vexacioni et Desperacioni, ad puniendum, qui rapientes duxerunt eum ad loca infernalia. Isti duo ministri magis cruciabantur eum quam omnes alii. Desperacio cantabat ei canticum mortis, scilicet hic ignis non extinguitur nec vermis moritur,<sup>21</sup> hic finis semper incipit et defectus deficere nescit.<sup>22</sup> Sicque consolantur hic rei, qui projecti sunt a facie dei. Peracto igitur iudicio Misericordia cum suis scabinis geniculavit se coram iudice et petivit indulgenciam predicto captivo, quam iudex hilariter exaudivit, et statim misit quatuor ministros, qui eum arriperent et misericordie presentarent, scilicet Indulgenciam et Remissionem, Absolucionem et Liberacionem. Primi duo nunciaverunt ei relaxacionem omnium peccatorum. Absolucio absolvit eum et Liberacio dirupit vincula eius totaliter et presentavit Misericordie. Quem Misericordia restituit in gradum pristinum et ampliori gracia ditatus est quam ante casum erat, quia ubi habundavit delictum, superhabundavit et gracia.<sup>23</sup>

Hii omnibus peractis regina fecit vocari transgressorem, qui liberatus fuerat et inquisivit ab eo causam transgressionis sue. Qui respondit: "O domina, cum vice quadam ambularem per plateas, scilicet per visum et auditum, vidi quandam de Babilonia, quem recepi hospitio et per illum deceptor transgressor effectus sum cadens in peccata. Ille autem mox fugit, cum cecidisset, et prodidit me gloriatus de casu meo. Sicque Veritas deprehendit me. Et nisi Misericordia adiuvisset<sup>24</sup> me, paulo minus habitasset in inferno anima mea." Audiens hec regina dixit ei: "Vide, ne deterius aliquid tibi contingat. Vade nunc in pace!" Tunc regina precepit convocari omnem familiam suam et portarios suos, scilicet Perseveranciam et Diligentiam. Perseverancia erat senior, cuius maturitas non permisit eum multum vagari.

20 tradi ... peccata] traditoribus et propriis peccatis J.

21 Mc 9,45/47: ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.

22 Gregorius Magnus, *Moralia in Job* 9,66: finis semper incipit et deficere defectus nescit.

23 Rm 5,20: ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia.

24 adiuvit J.

Diligencia erat iunior, qui mox ut audivit pauperem clamantem, deum benedixit et cucurrit ad portam et elemosinam tribuit et quicquid agendum erat circa pauperes, fideliter peregit, quia iuvenis fortis et abilis ad expedienda negotia pauperum.<sup>25</sup>

Habuit insuper regina hec duos cursores, scilicet Meditacionem et Cogitationem. Co-gitacio terrena negotia peregit, Meditacio vero celestia. Habuit eciam quinque vigiles, quatuor in castro et unum in turri. Quatuor in castro sunt Fides, Spes, Firmitas et Circumspectio. Sed Fortitudo turrim fideliter custodivit. Cum igitur tota familia congregata fuisset coram regina, ipsa verecundabatur loqui coram tanta multitudine. Sapiencia, sciens eius voluntatem et sciens omnia bene disponere, loquebatur pro ea dicens: "Domina nostra regina sub virtute obediencie precepit omnibus vobis, ut nullus vestrum aliquem de Babilonia recipiat hospicio nec portarii intromittant nec ullum servicium ei exhibeatur, sed totaliter despiciatur et cum indignacione repellatur. Sed advenientes de Iherusalem honorifice suscipiantur et benigne tractentur. Maxime autem rogo vigiles, ut omnium adveniencium adventum pronuncient. Fides sedeat ad orientem, Spes ad austrum et custodiat valvam que respicit Ierusalem. Firmitas sedeat ad aquilonem, unde tempestates et venti validi oriri solent. Circumspectio sedeat ad occidentem, unde tenebre et nebulae pluviarum venire solent et diligenter custodiat valvam, que respicit Babilonem. Et magnopere moneo Fortitudinem, ut firmiter resistat cum necessitas incubuerit." Qui omnes responderunt se libenter obedire et omnia precepta regine servare. Tunc dimisit eos regina, et unusquisque remeavit ad propria.

Cum autem rex Babilonis intellexisset, quod sic despecti essent sui et cum indignacione repellerentur a castro regine, iratus est valde et congregavit exercitum grandem et fortem nimis et circumvallavit castrum eius, volens illud subvertere et reginam cum sua familia captivamducere. Quod intelligens, qui erant in castro, firmiter se defendebant. Hoc cum vidisset rex, precepit sagitariis, ut cum ignitis iaculis iacerent in castrum, ut sic territi castrum darent, nec tamen sic prevaluit. Videns igitur rex, quod per expugnationem non posset prevalere, tandem per murum loquebatur cum consiliariis regine et ad omnes defensores murorum sic ait: "Rogo, ut consilium detis regine vestre, ut desponsetur filio meo et dabo ei et vobis magnos honores et infinitas divicias. Et si renuerit, non recedam hinc, donec vos omnes et castrum istud subvertam." Responderunt consiliarii dicentes: "Etatem habet regina, de se loquatur. Insuper non decet nos tale consilium dare, ut nobilis ignobili coniungatur et pia impio confirmetur, tamen revelabimus ei, et quicquid facere voluerit, vobis renunciabimus."

Cum autem ista proponerent regine, regina multum perterrita flere cepit nimis perturbata dixitque: "Malo mori quam tam vili sterco coniungi." Hec cum renunciata fuissent regi, rex magis ac magis furore incenditur et totis viribus iterum temptabat expugnare castrum, sed nichil profecit. Tunc rex precepit exercitui suo, ut summa diligencia caveretur, ne aliqua bona adducerentur ad dictum castrum, ut ita fame morerentur. Sed Sapiencia, que omnia bene disposuit et in sui dispositione non fallitur, occulte omnia necessaria procuravit, quoque eligeretur magister militum et caput tocius familie. Videns regina se sic circum-

25 quia iuvenis et habilis erat ad annunciandum negotia hominum J.

vallatam, cogitabat desponsari cuidam potenti domicello<sup>26</sup> virginis filio, qui eam posset liberare de manu regis Babilonis. Unde dicebat intra se: "Audivi bonam famam eius, qui ideo vocatur Ihesus, id est Salvator, quia salvat omnes sperantes in se, et quod delectabile et dulce sit conversari cum eo." Hec et similia revolvens in corde suo tantum in amore eius fervebat, quod decumberet. Cuius debilitatem Sapiencia cum intellexisset, intravit ad eam requirens ab ea causam languoris. Que diu tacuit et pre verecundia respondere non valebat. Tandem Sapiencia provocante ait: "Amore langueo.<sup>27</sup> En, inquit, vides qualiter circumvallata sum et timore perterrita. Ideo libenter coniungerer cuidam potenti domicello, qui me et vos omnes liberaret." Tunc ait Sapiencia: "Vocetur cursor, scilicet Cogitacio, et mittatur ad querendum talem domicellum." Cogitacio mittitur per universum mundum et tandem revertitur et stetit coram regina. Cui regina dixit: "Unde venis?" At ille: "Circuivi terram et perambulavi eam."<sup>28</sup> Et regina: "Numquid invenisti, quem diligit anima mea?"<sup>29</sup> At cursor: "Vanitas vanitatum et omnia vanitas<sup>30</sup> et omne, quod vidi in mundo, aut est concupiscencia oculorum aut concupiscencia carnis aut superbia vite.<sup>31</sup> Sed audivi, quod in Iherusalem, que sursum est, sit nobilis filius regis Iherusalem, de cuius probitate et gloria totus mundus loquitur." Quod audiens regina magis ac magis inflammatur in eius amorem. Tunc iterum Sapiencia dixit: "Vocetur alius cursor, scilicet Meditacio sancta, et assumat oracionem, que celos scit penetrare." Oratio respondit: "Scitis, o domina, quod via, que sursum tendit ad Iherusalem, arta et angusta<sup>32</sup> est et multe insidie inimicorum iuxta illam viam sunt. Et nullus potest illac pervenire, nisi per violenciam et pugnam, quia regnum celorum vim patitur et violenti rapiunt illud.<sup>33</sup> Insuper nullus permittitur intrare ad regem vacua manu. Ideo necesse habeo, ut comitetur me Devocio cum lagena aque, id est cum lacrimis ad refocillandum spiritum in pugnam. Et ad flectendum domicelli animam oportet me habere duo clenodia, in quibus maxime delectatur, que ex parte vestra ei dabo, scilicet bonam voluntatem et perfectam caritatem. Nam ipse dicit: 'Non apparebis in conspectu meo vacuus.'<sup>34</sup> Insuper necesse habeo in testimonium, ut ei mittatis litteram vestram caritate sigillatam, in qua sit scriptum desiderium vestrum. Tunc prosperabitur iter meum et desiderium vestrum adimplebitur." Regina respondit: "Hec omnia procurabo vobis, et cum inveneritis dilectum meum, nunciate ei diligenter, quam valde eum diligo et amore eius langueo."<sup>35</sup>

Cum igitur profecti essent nunciī iter arripientes, statim invenerunt secus viam duos deceptiones in habitu peregrinorum, qui deceperant multos, qui eorum consilia sequebantur. Vocabantur autem Astucia et Versucia diabolice fraudis, qui coniungebant se nunciī regine, quasi cum eis vellent ambulare. Et cum venissent ad bivium, dicebant: "Ambulemus per hanc viam latam et pulchram, que delectabilis est ad ambulandum." Sciebant<sup>36</sup> ibi la-

26 Für „domicellus“ als Bezeichnung für Christus liegt im Mittellateinischen Wörterbuch, Bd. 3, Sp. 944 nur ein Beleg aus der Mitte des 13. Jahrhunderts aus der *Vita beatae Mariae virginis et Salvatoris rhythmica* vor.

27 Cf 2,5 und 5,8: amore langueo.

28 Hiob 1,7 und 2,2: circuivi terram et perambulavi eam.

29 Cf 3,4: inveni quem diligit anima mea.

30 Eccl 1,2: vanitas vanitatum omnia vanitas.

31 I Io 2,16: omne quod est in mundo concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum est et superbia vitae.

32 Mt 7,14: angusta porta et arta via.

33 Mt 11,12: regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.

34 Ex 23,15: non apparebis in conspectu meo vacuus.

35 Cf 5,8: si inveneritis dilectum meum ut nuntietis ei quia amore langueo.

36 sciebant quod H K.

tere latrones,<sup>37</sup> qui eos exscoliarent ambulantes per illam. Unde et multi decepti sunt per pulchritudinem illius vie, sicut scriptum est: 'Sunt vie, que videntur hominibus pulchre, sed finis illorum ad inferos ducit.'<sup>38</sup> Tunc responderunt nuncii dicentes: "In mandatis habemus hanc viam ambulare et illam obmittere. Si autem nobis vim facere volueritis, defendemus nos." At illi: "Non possumus vobis vim facere, sed si consiliis nostris acquiescere nolueritis, liberi discedite." Sic quoque sunt separati. Et cum procederent, iterum obviam habuerunt aliam societatem, scilicet Pigriciam, Negligenciam, Sompnolenciam, Invidiam, Nequiciam, Levitatem et Vanitatem. Hii omnes temptabant nuncios impedire, sed non poterant, quia firmiter se defendebant. Non valet autem lingua proferre, quantas iniurias et quanta adversa sustinuerunt in via, antequam pervenirent in Iherusalem.

Tandem cum pervenissent cum magno labore ad preurbium Iherusalem, acceperunt lagenam aque, quam secum apportaverant, et refocillabant spiritum deficientem. Et si hanc aquam non habuissent, utique in via defecissent. Tunc viderunt duos ministros regis ante fores stantes, scilicet Caritatem Benefacientem et Veritati Congaudentem, quos interrogaverunt, qualiter fama ibi sonaret. Benefaciens respondit: "Rex Abbatheos<sup>39</sup> intellexit, quod quedam nobilis domicella et regina in terra vestra, de qua venitis, in amore filii sui totis viribus suis languet et ob hoc castrum suum obsessum sit a rege Babilonis. Quare omnem potestatem dedit filio suo, ut, si voluerit, poterit eam liberare et eam sibi despōsare. Et modo filius assumpsit sibi regnum et imperium et omnem potestatem. Et iam premittit duos visitatores, scilicet Divinam Visitacionem et Spiritualem Delectationem. Hii debent visitare reginam et explorare castrum et statum regine et tocus eius familie." Responderunt illi: "Nos nuncii regine sumus et venimus cum litteris et muniberis adorare domicelum vestrum et negocium regine nostre fideliter peragere." Tunc Congaudens Veritati dixit: "Consilium meum est, ut sustineatis negocium vestrum et maneatis in preurbio in domo Benefacientis, donec visitatores redeant. Et si bene eis successerit, tunc simul intrabitis cum illis ad negocium vestrum peragendum. Et cito remittite cursorem vestrum Meditacionem, ut nunciet regine visitatorum adventum, ut benigne suscipiantur et honorifice tractentur." Placuit eis consilium et cursor remittitur regine. Cumque venisset et stetisset coram regina, ait: "Prosperum iter fecit nobis deus salutarium nostrum."<sup>40</sup> Et ei narravit omnia, que eis acciderunt, et adventum visitatorum regis indicavit.

Tunc regina precepit vocari consiliarios suos cum marscalco, quibus precepit, ut honeste nuncios summi regis reciperent et laute procurarent. Quod ita factum est. Tunc Divina Visitacio fecit, sicut ei imperatum fuerat. Visitabat omnes officinas et tandem ipsam reginam cum sua familia visitabat. Tunc venit et secundus visitator, scilicet Spiritualis Delectatio, et colloquium habebat ita dulce cum regina et familia eius, quod supra modum delectabatur audire. Dicebant enim eis de magnitudine potentis regis Iherusalem et habitancium in ea,

37 latrones] raptore J.

38 Cf. Prv 14,12: est via quae videntur homini iusta novissima autem eius deducit ad mortem. Abgewandelt und unserer Stelle ähnlicher bei Balduin von Canterbury (Migne PL 204, 466D): sunt viae quae videntur hominibus rectae, quarum finis ad inferna deditur.

39 Rex pater J. – Zum seltenen Ausdruck 'Abbatheos' vgl. Christine MODESTO: Studien zur Cena Cypriani und zu deren Rezeption. Tübingen, 1992, S. 134: rex habitans in partibus orientis nomine Abbatheos habensque unicum filium.

40 PsG 67,20: prosperum iter faciet nobis deus salutarium nostrorum.

ita quod rapiebatur regina ex se et dixerat: "Quam dulcia faucibus meis eloquia tua et dulcia super mel ori meo."<sup>41</sup> Tandem regina reversa ad se inquisivit de statu filii regis Iherusalem. Primo interrogavit, si esset pulcher. At illi: "Pulchritudinem eius sol et luna mirantur." – Et illa: "Est dives?" "Gloria et divicie in domo eius."<sup>42</sup> – "Est iustus?" "Iustus dominus in omnibus viis suis et sanctus in operibus suis."<sup>43</sup> – "Est misericors?" "Misericors et miserator et iustus dominus paciens et multum misericors et miseraciones eius super omnia opera eius."<sup>44</sup> – "Est sapiens?" "Sapiencie eius non est numerus."<sup>45</sup> – "Est pius?" "Aperit manum suam et implet omne animal benedictione."<sup>46</sup> – "Est potens?" "Potestas eius a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum."<sup>47</sup> – "Est nobilis?" "Omnes reges terre adorabunt eum et omnes gentes servient ei, cui servire regnare est."<sup>48</sup>

Audiens hec regina magis ac magis inflammatur in amore dilecti sui. Interea cum visitator visitasset omnem familiam et vidisset, quod unusquisque per viam suam ambularet<sup>49</sup> et faceret, quod volebat, et non haberent rectorem super se, displicuit ei et iratus est valde et volebat cum socio suo recedere cum indignacione. Quod intelligens regina misit matronam suam cum Intervencione et Reconsiliacione ad eos. Et statim Intervencio petivit veniam coram eis et rogavit diligentissime, ut saltem manerent per diem. Tunc Pax et Reconsiliacio coegerunt eos, ut averterent iram et indignacionem eorum, et sic in tempore iracundie facta est reconsiliacio.<sup>50</sup> Et manserunt donec rector et caput omnium electus esset.

Tunc regina precepit vocari omnem familiam suam, ut eligerent rectorem, cui omnes obdiren. Cumque convocati simul stetissent coram regina, ipsa dixit: "Si placet, eligatis Sapienciam, que ex ore altissimi prodiit<sup>51</sup> et bene scit omnia disponere." Sapiencia respondit: "O domina, cum pueris minus bene scio conversari. Ideo nec eos regere possum. Expedit autem vobis, ut eligatur, que cum omnibus scit conversari." Tunc quidam dixit: "Eligatur Humilitas, que numquam passa est ruinam." Que respondit: "Nescio superbos et elatos et protertos compescere." Tunc alius dixit: "Eligatur Pax." Que respondit: "Nescio inter discordantes habitare." Et alter ait: "Eligatur Puritas camerarius vester." At illa: "Non possum esse in brax[at]orio<sup>52</sup> propter denigrationem, que ibi fit propter caldaria et diversas ollas." Et sic omnes se excusabant. Tandem dixit Sapiencia: "O domina, scio adhuc virtutem, qua omnes virtutes coniuntur, sine qua nulla virtus efficax est, hec vocatur Discrecio." Tunc regina et omnes communi consilio elegerunt Discretionem, quia omnis virtus, que fit sine discrecio, fit vicium. Et clamaverunt omnes: "Vivat Discrecio et habeat potestatem super nos et super omne regnum!"

<sup>41</sup> PsG II8,103: quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.

<sup>42</sup> PsG III,3: gloria et divitiae in domo eius.

<sup>43</sup> PsG I44,17: iustus dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis.

<sup>44</sup> PsG I44,8: miserator et misericors dominus patiens et multum misericors.

<sup>45</sup> PsG I46,5: sapientiae eius non est numerus.

<sup>46</sup> PsG I44,16.

<sup>47</sup> PsG 7I,8: et dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

<sup>48</sup> PsG 7I,II: adorabunt eum omnes reges omnes gentes servient ei. Sacramentarium Gelasianum (Migne PL 74, 1217): Deus auctor pacis et amator quem nosse, vivere, cui servire, regnare est.

<sup>49</sup> Is 53,6: unusquisque in viam suam declinavit.

<sup>50</sup> Sir 45,7m17: in tempore iracundiae factus est reconciliatio.

<sup>51</sup> Sir 24,5: ego ex ore altissimi prodiui.

<sup>52</sup> Braxatorium (bracitorium): Brauhaus.

Tunc omnes accesserunt et fecerunt ei obedienciam. Videns autem Discrecio, quod protestatem haberet super omnes, statim ordinavit magistrum militum, scilicet Providenciam, et fecit duos milites, scilicet Potenciam et Dignitatem, que semper apud Providenciam essent. Et Discrecio assumpsit sibi in ministerium Continenciam, Benignitatem et Dispositionem. Et factum est in illa die gaudium magnum per totam familiam propter confirmationem Discretionis. Videntes igitur nunc visitatores, quod domus regine sapienter a sapientibus disposita fuisset, placuit eis bene et gracias agentes volebant recedere. Tunc regina misit ad eos marscalcum suum Benivolenciam, ut instantissime rogaret, quod eos recipere hospicio, ut manerent adhuc per aliquot dies, ut colloquio Spiritualis Delectationis aliquantulum adhuc frueretur. Qui exaudierunt eam et manserunt.

Tunc Spiritualis Delectatio intrabat ad reginam et colloquium salubre et iocundum habebat cum ea de gloria et pietate dilecti sui. Contigit autem quadam vice, ut regina tantum accederetur in amore dilecti sui, ut extra se raperetur et amens fieret et more amentium occulte cucurrit extra castrum vagabunda et ullulans dicens: "O si haberem dilectum meum, ubi queram eum, ut inveniam?" Et casu arripiebat iter arduum, quod sursum tendebat ad Iherusalem, et cum nocte appropriaret muris Iherusalem et sic ullulans incederet, invenerunt eam vigiles et custodes murorum.<sup>53</sup> Percusserunt eam et vulneraverunt tuleruntque pallium eius.<sup>54</sup> Mane autem facto aliquantulum ad se reversa cognovit Iherusalem esse, in qua dilectus eius moraretur, et videns filias Iherusalem per cancellos respicientes clamabat dicens: "O filie Iherusalem, nunciate dilecto meo, quod amore langueo propter eum,<sup>55</sup> percussa sum, vulnerata sum, spoliata sum, laboremque magnum sustinui, scilicet labor meus vix est unius hore et si plus est, non sencio pre amore."

Oracio et Devocio audientes hec cognoverunt vocem esse regine et statim cucurrerunt ammirantes, quid ei accidisset, et interrogaverunt eam quomodo illic pervenisset. Que ait: "Anima mea liquefacta est ut dilectus meus locutus est."<sup>56</sup> Tunc duxerunt eam in domum Benefacientis et rogaverunt hospitem, ut intraret civitatem et rogaret paraclitum spiritum sanctum, quatenus reginam consolaretur ac reduceret ad castrum. Quod fecit Benefaciens et intimavit paraclito eventum rei et statim paraclitus hilariter exaudivit eum et misit ei spiritum revelationis, qui eam reduceret, ut revelaret ei directam viam cum illuminatione, ne in tenebris erroris et miserie ambularet. Et sic in spiritu reducta est regina ad castrum suum.

Interea cum familia reginam non inveniret, mirabatur quid ei accidisset, et perturbabantur omnes valde. Tunc visitatores dicebant: "Sepe contigit nobis in visitacione, cum nos faceremus sermonem de gloria Iherusalem, quod multi raperentur extra se et quasi amentes vagarentur. Ita forte et hic contigit." Interim nunciatum est familie reginam esse reversam et sic ei contigisse sicut visitatores dixerunt. Tunc visitatores intrabant cum familia ad reginam et interrogaverunt eam ubi fuisset. Illa respondit: "Post dilectum meum abiui, quesi illum." Et ab alto trahens suspiria dixit: "Incolatus meus, heu, prolongatus est, modo inveni illum."<sup>57</sup> Visitatores dixerunt: "In proximo est, ut a deo cureris. Sustine adhuc modi-

53 Ct 3,3: invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.

54 Ct 5,7: invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem percusserunt me vulneraverunt me tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

55 Ct 5,8: adiuro vos filiae Hierusalem si inveneritis dilectum meum ut nuntietis ei quia amore langueo.

56 Ct 5,6: anima mea liquefacta est ut locutus est.

57 PsG 119,5: heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.

cum tempus et mitte pro Iubilacione et Contemplacione, ut ludant coram te, donec reversi fuerimus Iherusalem. Tunc nos simul cum nunciis tuis exspectantibus nos intrabimus ad dilectum tuum ad negocium tuum fideliter peragendum et desiderium tuum adimplebitur.”

Regina cum magno desiderio et magna exultacione clamabat dicens: “Fiat mihi secundum verbum tuum<sup>58</sup> et quanto cicias tanto carius.” Tunc visitatores reverentissime gracias agentes accepta licencia redierunt in Iherusalem, unde missi fuerunt. Cum adhuc ante fores Iherusalem essent et postularent nuncios regine, mox Congaudens Veritati celeriter nunciavit eis, ut cito venirent et intrarent cum visitatoribus et negocium regine modo terminarent. Qui statim venerunt, et cum vidissent visitatores, salutabant se invicem et intraverunt cum eis, ubi domicellus dulciter hilari vultu statimque interrogabat visitatores de statu regine et familie eius. Et responderunt dicentes: “Regina omni laude dignissima, et quod<sup>59</sup> domus eius a sapientibus bene sit disposita, quoniam Discrecio totam familiam regit.”<sup>60</sup> Tunc inquisivit domicellus, si regina humilis esset, casta et pudica, stabilis et quieta, obediens et pacifica, simplex et disciplinata. Visitatores respondentes affirmabant omnes has virtutes in se habere et multo plures. Hec affirmacio multum beneplacuit domicello. Et dum medium silencium tenerent omnia, videntes Oratio et Devocio, quod nullum impedimentum haberent, adoraverunt domicellum sedentem in throno, viventem in secula seculorum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei preciosa munera, scilicet bonam voluntatem et perfectam caritatem. Et statim presentaverunt ei litteram a regina missam dicentes: “Salutat te regina nostra, o nobilissime domicelle.” Qui statim aperuit litteram et legit eam sic: “Dilecto amatori suo domino Ihesu Christo ancilla humilis et dicta regina, licet indigna, in terra miserie et valle lacrimarum posita obedienciam et quicquid ex se dulcius poterit cogitari. Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi propter te, in quem credidi, quem dilexi, quem semper optavi et totis viribus concupivi.<sup>61</sup> Nichil enim in hoc mundo desidero, sed omnes delicias mundi quasi stercora arbitror, sed cupio dissolvi et esse cum dilecto meo domino Ihesu Christo.” Perlecta littera, que caritate fuit sigillata, legit et sigillum in quo scriptum erat: “Pone signaculum hoc super cor tuum.”<sup>62</sup> Quod cum fecisset, domicellus mox clamavit dicens: “Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.<sup>63</sup> Accepta sunt michi munera tua valde. Et ecce ego cito veniam et liberabo te de manu regis Babilonis et desiderium tuum adimplebo.”<sup>64</sup> Et quem sepius optasti, secundum voluntatem tuam perfueris.” Et dixit domicellus nunciis regine: “Cito recedite in pace et nunciate, quod libenter venturus sim cum potestate magna.”

Qui cum reversi fuissent, Oracio intravit ad reginam dicens: “Annuncio vobis gaudium magnum,<sup>65</sup> quia salvator venturus est liberare vos ab omnibus inimicis vestris.” Tunc dixerunt consiliarii regine: “Consilium nostrum est et videtur esse salubre, ut intres ecclesiam tuam et capellani tui cum suis ministris celebrent ibi divina, ut cum venerit dilectus tuus, inveniat te in divinis laudibus vacantem.” Ecclesia est protectio dei, capellani gratia dei,

58 Lc 1,38: fiat mihi secundum verbum tuum.

59 quod om. H.J.

60 quoniam ... regit] et quomodo discrecio tantam familiam eius regeret K.

61 Responsorium aus dem Commune virginum: Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi propter amorem domini mei Jesu Christi quem vidi quem amavi

in quem credidi quem dilexi ([http://cantusindex.org/  
id/007524](http://cantusindex.org/id/007524)).

62 Ct 8,6: pone me ut signaculum super cor tuum.

63 Ct 4,9: vulnerasti cor meum soror mea sponsa.

64 In K Lücke im Text. Der untere Teil (etwa sieben Zeilen) von f. 137 wurde abgeschnitten.

65 Lc 2,10: evangelizo vobis gaudium magnum.

communicacio spiritus sancti. Ministri divinitatis cogitacio sancta, inspiracio salutaris, intercessio celestis, benedictio, cantores sunt concordancia dulcis, elevacio devota intencio et perfecta consolacio. Isti ita dulciter cantabant, quod vox cordi semper concordabat. Interea cum regina in divinis esset cum sua familia et cum iubilacione et contemplacione, clamaverunt vigiles: "Estote parati! Ecce dominus cum potestate magna et maiestate et ecce in acie belli divinum auxilium et victoria." Et qui precedebant, pugnabant cum rege Babilonis et refulsit sol in clipeos aureos et resplenduerunt montes ab eis et fortitudo regis Babilonis dissipata est et ceciderunt multi in ore gladii<sup>66</sup> et interierunt. Et fecit victoriam in illis domicillus noster gloriosus et omnipotens et facta est leticia magna in castro.

Tunc aperuerunt portam, que respiciebat ad Iherusalem, et intromittebant domicellum cum exercitu suo in iocunditate et exultacione. Et cum introductus fuissestatim currit ad ecclesiam, ubi audivit dulcem melodiam, et ibi invenit reginam in suis laudibus vacantem, que assurrexit ei et humili vultu eum respexit et cantabat cum cantoribus suis antiphonam: "Clamavit dilectus vulnerasti cor meum soror mea sponsa in ictu oculi tui."<sup>67</sup> Et duxit eam in cubiculum eius et ordinavit in eam caritatem. Et cantavit dulciter: "Surge, propera, amica mea,<sup>68</sup> veni de Libano, veni coronaberis."<sup>69</sup> Tunc domicillus assumpsit eam et duxit eam sursum in civitatem suam Iherusalem et iussit precones precedere et clamare: "Sic honorabitur, quam rex vult honorare."<sup>70</sup> Et sic cum magno comitatu angelorum et sanctorum assumpta est in gloriam sempiternam, ubi ei dedit tria clenodia pro dote, scilicet congaudium omnium sanctorum, visionem ipsius divinitatis facie ad faciem sicut est et securam fruicionem ipsius sancte trinitatis. Que clenodia nobis conferat post hanc vitam Ihesus Christus dominus noster in secula benedictus amen. Explicit conflictus anime.

66 Sir 28,22: multi ceciderunt in ore gladii.

67 Ct 4,9: vulnerasti cor meum soror mea sponsa vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.

68 Ct 2,10: surge propera amica mea.

69 Ct 4,8: veni de Libano veni coronaberis.

70 Est 6,9: sic honorabitur quemcumque rex voluerit honore.